



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. Quantitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Scytha dicuntur apud Herodotum, quâ voce utitur etiam sæpe Naso. Addit Epitheton Herodotus ἀθάνατοι *immortales*, quia non putabant se mori, sed ad Deum suum Zamolxim transire; Arrianus lib. 1. exped. Alex. ἀπαθανάτωτας nuncupavit. Suidas etiam suo tempore dictos *Patzinacitas* significat. Posterius & *Gepide* vocati, & regio *Gepidia*, primumque *Gepandas* dictos, quæ vox *Tardum* sonat apud Gothos, quoniam & ingenio, & corpore tardi erant, inquit Iornandes; vel ut ait Cluverius, quia longinquam militiam detrectarunt, & ad Venedicum sinum hæere maluerunt: postmodum tamen in Daciam transgressi sunt, inde fit, ut Procop. lib. 1. Γεννὸν ἔθνος φασὶ τοὺς Γόθους εἶναι.

N V M. 2. *Quantitas.*

DACOS utramque Danubij ripam incoluisse, & ad Hæmum montem extensos esse liquet ex Dione, & Mæfos etiam fuisse Dacos. Unde intelliges quid dicatur à Poëtis, duplex, aut uterque Dacus. Eutropius ait Daciam decies centena milliaria in circuitu tenere. Ptolemæus eam cum Mysia iunctam quoad *longitudinem* extendit à flexu Boreali Danubij ad Pterum Prom. igitur ad 5000. stadiorum; *latitudinem* à Scodro monte ad Carpathum item montem, ac proinde ad 3500. stadia.

N V M. 3. *Qualitas.*

QUÆCUMQUE de Daciâ, & Mysiâ cecinit Poëta Tomitanus 3. de Ponto Eleg. 1. & 8. de campis sine arboribus, de Absithiis pro herbis, de perpetuo frigore, sine ullo veris aduentu Poëticè dicta esse videntur. Certè Solinus Mysiam Cereris horreum appellatam esse à Ro. tradit. Et verò quomodo Mysia alere potuisset quingenta hominum millia ex Daciâ traducta, ut dicemus in Politia.

N V M. 4. *Mores.*

COLLIGUNTUR ex Ouidio 5. Trist. Eleg. 7. Truci sunt vultu, voce ferâ, comâ & barbâ hispidis; accincti semper ferro procedunt, semper cum arcu, & sagittis veneno illitis. Nullis legibus se adstringi sinebant, sed ius ense sibi reddebant. Pellibus induci

Parall. Geogr. Tom. II.

Nn